Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2765
Quelle:
Copyright:

bendarum et beneficiorum. Notandum quod nolebat accipere beneficia &c. Cetera vaga et cuilibet Viro probo propria sunt. Dicitur *plus quam octuagenarius* excessisse. Et reipsa annos 84. illi tribuit *Ciaconius l. cit.* Sub finem citato *Maccbab.* II. c. 12. *Sancta et salubris est cogitatio* &c. additur: *licet forte ut pie credendum ista pena sit sibi propter plenariam indulgentiam quam dominus noster* (Papa) *sibi concessit sublata.* Nihil de hoc Sermone *Baluzius*, qui tamen sequentem novit.

XXVII. *fol.* 104. p. 2. *Sermo ejusdem factus in exequijs domini Neapoleonis* (de Ursinis) *dyac. Card. M.CCC.XLII. in die Annunciacionis beate virginis que fuit XXV. die Marcij et erat feria II. post palmas pro illo anno. Per nunc papam Clementem sextum.* Iterum igitur falsus *Ciaconius*, dum Viri hujus, qui 57. circiter annos in purpura egerat et 7. Pontificibus interfuerat, annum emortualem 1347. prodit. Vide *T. II. col. 268.* Thema Sermonis: *Leonem et vrsum interfeci* &c. Initium: *Beatus Augustinus yponosticor. Responsione prima contra pelagianos et celestianos* &c. Excerpta quaedam inde dedit *Baluzius Notar. ad Vitas Papar. Avenion. p.* 601. quae Virum propius spectabant. Ego adjiciam, Oratorem mire ludere in *tribus* syllabis, quae in Defuncti nomine *Leonem* praecedebant, nempe *Ne*, *a* et *po*; abhorruisse scilicet illum a tribus *Ne*: Ne *deus recordaretur de suis flagicijs.* Ne *perderetur cum impijs.* Ne *priuaretur diuinis beneficijs.* Habuisse triplicem interjectionem *A* (ah) *propter exterminium inimicorum, propter tedium terrenorum, propter desiderium eternorum.* Item triplex *Po*; *In polo est ejus porcio et positio sicut in loco tuciori. possessio sicut in agro vberiori. potacio sicut in potu suauiori.* Similis lusus est in divisione Gentis *Ursinae* in *Ursum de Ponte*, in *Ursum de Monte*, et in *Ursum de Flore.*

XXVIII. a *fol.* 107. p. 2. sequuntur: *Dominica XXII. post festum trinitatis Sermo ad Clerum.* Item *Sermo de Circumcisione Domini.* Uterque ἀδέσποτος. Festum *Trinitatis* solenniter celebrari praecepit *Johannes XXII.*

XXIX. *fol.* 121. *Sermo factus per Clementem papam sextum in festo omnium Sanctorum pontificatus nostri Anno Primo. XLII.* Thema: *Sufficiat vobis quia omnis multitudo* &c. Initium: *Philosophus I. Ethic. dicit, quod ad beatitudinem seu felicitatem* &c. Habetur fine Autoris nomine *Cod.* etiam praeced.

XXX. a *fol.* 125. sequuntur: *Sermo* absque inscriptione, sed *in vigilia Nativitatis*, fine mutilus. Alter, pariter fine inscriptione in illud *Matth.* IX. *Filia mea modo defuncta est* &c. et ipse mutilus. Tertius *de sancto Andrea factus per generalem ministrum ordinis fratrum minorum.*

XXXI. *fol.* 133. *Sermo de Sancto Augustino factus in domo fratrum heremitarum ord. Sancti Augustini per Reuerendum in christo*